angulus verticalis quæsitus est 120: 24':49".

Regula alia prostapheretica inuentionis basis.

SEmi-differétiam sinuum versorum aggregati & differentiæ crurum nota: Nota etiam semi-sinum versum anguli verticalis. Notatos hos inter sinus rectos quære, & semi-differentiam sinuum versorum aggregati & differentiæ suorum arcuum in Tabula occurrentium, pro inuento secundo signabis: & pro inuento primo capiatur semi-sinus versus differentiæ crurum. Hæc inuenta adde, & proueniet semi-sinus versus basis quæsitæ.

Contrà autem ex semi-sinu verso basis, aufer primum inuentum, quod est semi-sinus versus differentiæ crurum, & prodibit secundum inuentum: quod per quadratum sinus totius, ductum & diuisum per semi-differentiam sinuum versorum aggregati & differentiæ crurum, relinquit in quotiente semi-sinum versum anguli verticalis quæsiti.

Ex quinque partibus trianguli sphærici, quarum tres mediæ dantur, duas extremas vno opere inuenire. Aut aliàs, datis duobus angulis apud basin cum basi, vtrumque crus sic habetur.

(*) ANgulorum apud basin aggregatum, semi-aggregatum, differentiam, & semi-differentiam, vnà cum suis Logarithmis nota. Inde Logarithmos semi-aggregati & differentiæ, & differentialem semi-basis adde: & hinc subducito Logarithmum aggregati. & Logarithmum semi-differentiæ; & producetur differentialis, qui est primum inuentum. Deinde Logarithmum semi-differentiæ, & differentialem semi-basis adde: hinc aufer Logarithmum, semi-aggregati, & producetur differentialis, qui est inuentum secundum inuentos hos differentiales, quia veri sunt, quære inter numeros differentiales: eorum arcus adde, & habebis crus maius; similiter minorem à maiore substrahe, & habebis crus minus.

Aliter pro cruribus inueniendis.

ANgulorum apud basin Logarithmum semi-aggregati, antilogarithmum semi-differentiæ, & differentialem semi-basis adde: & aufer Logarithmum aggregati & 693147, & fiet primum inuentum. Deinde Logarithmum semi-differentiæ, anti-logarithmum, semi-aggregati, & differentialem semi-basis adde: & hinc aufer Logarithmum aggregati & 693147, & fiet inuentum secundum. Cum inuentis age vt suprà, & habebis crura.

Idem aliter.

SEcantem complementi aggregati angulorum apud basin, duc per tangentem semi basis: productum duc primò per sinum anguli maioris apud basin, & fit inuentum primum. Secundò duc per sinum minoris anguli, & fit inuentum secundum. Hos ergo inuentos diuisos per quadratum sinus totius adde, & fit tangens semi-aggregati crurum: similiter maiorem à minore substrahe, & fiet tangens semi-differentiæ crurum. Eorum ergo arcuum vtrumque adde, & fiet crus maius: similiter minorem arcum à maiore aufer, & fiet crus minus.

Quinque partium proximarum Trianguli sphærici datis tribus mediis, vtramque extremam vno opere, & absque casuum obseruatione inquirere.

ANgulorum apud basin, vt sinus semi-differentiæ, ad sinum semi aggregati: Ita sinus differentiæ, ad quartum (*) quod est aggregatum sinuum.

Et vt sinus aggregati, ad hoc aggregatum sinuum; Ita tangens semi-basis, ad tangentem semi-aggregati crurum.

Inde vt sinus semi-aggregati angulorum, ad sinum semi-differentiæ: Ita tangens semi-basis, ad tangentem semi-differentiæ crurum.

Horum inuentorum tangentium arcus, è Tabula tangentium extractos adde, & prodibit crus maius: sic minorem à maiore substrahe, & prodibit crus minus.

FINIS.